

Ibid.: „a reatu aeternae damnationis absoluitur“²⁹

Imo a poena et culpa absoluitur. Deus enim aut totum aut nihil remittit, quia non est cauponator Deus. „Qui credit in filium, habet vitam aeternam.“³⁰
Item: „Transit de morte ad vitam.“³¹

Ibid.: „qui purificat cor eius“³²

5

Hic iterum callide fidem, qua corda purificantur (Act. XV³³), dissimulare videtur. Si enim tribueret hoc solae fidei, quod per eam Spiritus sanctus purificaret corda, frustraneum de iustitia inhaerente laborem se suscepisse iudicaret. Sed cor non purificatur, nisi fide et charitas ex puro corde proficiscitur. Ergo fides est ante charitatem. Nam [85:] nullius hominis charitas placet Deo, nisi fuerit ante per fidem iustificatus et saluatus. 10

Ibid.: „Haec est vera iustitiae inhaerentis ratio“³⁴

Iustitia inhaerens est nouum et inauditum monstrum non recte loco iustificationis insertum. Haec enim doctrina non est consentanea cum doctrina Pauli ad Romanos et alibi de iustificatione, qui sic commendat nobis iustitiam Dei, 15
ut nostra nullum in iustificatione, quae fit coram Deo, locum habeat. Ideo non recipimus ullam nostram iustitiam in loco iustificationis. „Non inueniar habens meam iustitiam“³⁵ inquit Paulus. Item: „Iustitia Dei sine lege“³⁶
Rom. III. Item: „Iustitia Dei in euangelio reuelatur ex fide in fidem.“³⁷ Item: 20
„Iustitia Christi per fidem in omnes et super omnes.“³⁸ Sed extra locum iustificationis nos pro iustitia inhaerente docemus cum Paulo nouam oboedientiam imperfectamque et iustitiam bonae conscientiae seu vitae nouitatem qualemcunque necessario sequi debere fidem in iustificatis et non ad iustificationem requiri, multo minus iustificare coram Deo, sicut Paulus inquit: 25
„Nihil mihi conscius sum, sed per hoc non sum iustificatus.“³⁹

²⁹ Augsburger Interim IV, 43; Augsburger Interim (Ulhart), B 3r.

³⁰ Joh 3,36.

³¹ Joh 5,24.

³² Augsburger Interim IV, 45; Augsburger Interim (Ulhart), B 3r.

³³ Vgl. Act 15,9.

³⁴ Augsburger Interim IV, 45; Augsburger Interim (Ulhart), B 3r.

³⁵ Phil 3,9.

³⁶ Röm 3,21.

³⁷ Röm 1,17.

³⁸ Vgl. Röm 3,22; Röm 5,18.

³⁹ I Kor 4,4.